

**COR.** *Gluma* bivalvis: valvis angustis, linearibus, planis, membranaceis, tenacissimis, obtusis, calyce brevioribus, quarum altera apice exferit *Aristam* longitudine spicæ f. ultra semuncialem, nudam, totam (ob angustissimam glutinam videtur arista oriri ex ipso receptaculo, inferius tantummodo tenuis membranacea.).

**STAM.** *Filamenta* tria, brevía. *Antherae* oblongæ, lineares.

**PIST.** rudimentum non vidi.

*Floris* masculi pedunculati.

**CAL.** confimilis.

**COR.** confimilis, sed glumis æqualibus, muticis.

**STAM.** confimilia.

Scheuchz. 95: n. 2. sat bene describit plantam, at fructificationem non item; nam calyx est bivalvis, cujus unam valvulam facit corollinam, quod vix opus est, cum adsint binæ valvulae corollinæ, etiam in floribus muticis. In floribus aristatis aristam describit præter valvulam corollæ angustam, quæ vera est gluma basi apice exferens aristam.

## CENCHRUS.

49. **CENCHRUS capitatus** spica ovata simplice. *Roy. Lugdb. 71: 1.*

Gramen montanum echinatum tribuloides capitatum. *Column. cephr. 1. p. 340.*

*Habitat* in collibus Madritensibus.

*Radix* fibrosa, multiplex, fibris longis, annua.

*Calmi* digitales, glabri, stricti, geniculis duobus ad radicem ubi leviter inflexi; articulo ultimo erecto, longissimo, nudo.

*Folia* graminea, uncialia, subpubescentia, plana, acuminata.

*Vagina* angulata, striata, integra, dorso sæpe carinata. *Membranula* albida, membranacea, laciniata, acuta.

*Flores* in spica ovato-subrotunda, spinoso-echinata, terminali, ad basin squamis acutis, membranaceis, minutissimis involuta, floribus omnibus sessilibus.

**CAL.**